

tur, atque ipsum in primis Maximilianum, quem cum exercitu Feltriæ appropinquare nuncii venerant; tutius futurum, si copiæ reipublicæ Taurisum ducerentur: ita uti fieret, censuerunt: præmissique Taurisum sunt virtute & fide præditi ac probati Patribus viri e plebe tres cum suis quisque militibus, qui tribus oppidi portis præessent, easque ad omnes casus custodirent. Ad Castellum novum autem, quod est in Alpibus supra Taurisanos fines in regione Querio appellata, natura & artificio communitum, milites Germani cum venissent, & tormentis murum quaterere cœpissent, atque Andreas Rimundius præfectus, qui eum locum sibi tuendum a Senatu sumpserat, turpiter se fugæ mandavisset, castello sunt potiti. Maximilianus Feltriam venit. Ea re ad Maurum legatum per cives Patavinos amicos reipublicæ confestim delata, qui illi magnum esse Germanorum militum cum rege numerum significaverant, Maurus nocte intempesta omni cum ea manu, quam habebat, ad imperatorem, qui Mestre nondum abierat, se recepit: Castellumque Francum, quo in municipio erat Maurus, regi se evestigio tradidit. His interjectis diebus dato ab omnibus jurejurando se in fide atque officio cum republica futuros, exercitus Mestre eductus, Taurisumque perductus est, quo tubicem Maximiliani venerat, petens ut regi se oppidani traderent, nisi diripi atque interfici mallent. Ei consulto Senatu ab legatis est responsum datum; velle se oppidum tueri reipublicæ, atque in eo cives omnes consistisse; neque direptionis aut mortis metu absterri posse, ne fidem præstent, quam semel pepigerunt: virtuti nullam vim fieri: nullum incuti timorem iis, qui honeste occumbere, quam turpiter vivere satius atque prius putant. Iisdem legatis deinde certioribus factis hostium copias ad Citadellam convenire, ut in illas impetum faceret, Grittus Tauriso cum Leonardo Apulo cumque Epirotis equitibus ad vicina ei municipio loca se se contulit.

*Castello novo in Querio Germani potius sunt.*

*Taurisanorum fides in Remp.*

*Turcarum rex operam Reip. pollicetur.*

Andreas interim Fusculus, qui Byzantii reipublicæ negotia procurabat, Patres facit per literas certiores, clade reipublicæ cognita regem Thracium sibi ostendisse, Ma-

*gnam*